nasci. Nemo sane id sibi arrogare presumat nisi quos ipse speciali desig-
natione tamquam digito demonstraverit dicens. Ecce mater mea et fratres
mei. Enimvero audi virum ex istis. Filioli mei quos iterum parturio do-
nec formetur Christus in vobis. Si enim nasci videbatur in eis cum formabatur
in eis quo non etiam ab eo simpliciter nasci eum dicere quis presumat qui in ipsis
eum quodammodo parturiebat. Et tu quidem impia synagoga hunc fili-
um nobis peperisti officio quodam matris sed non matris affectu. Excussis-
ti eum de sinu tuo extra civitatem deiciens et elevans super terram tamquam
dicens: eorum gentium pater et eorum parturientium questionem includes. Nec meus nec
vester sit sed dividatur. Dividatur longum non inter utrasque sed ab utrisque.
Expulsum enim et exaltatum et quidem medio parietis tamen ut nec intus esset
menibus nec in terram foris undique traxisti ne forte vel hanc vel il-
lam exciperet vel videlicet a te separans ~~ad neutram pueriet illam~~ neutram
pueriret illarum. Scena nimirum mira ita abortivum facere voluisti dum es-
set qui excipere posset excussum. Age ergo quod proferens primo quam
nichil proferens intuere. Undique enim egrediuntur filie Syon ut videant
regem Salomonem in dyademate quo coronasti eum relinquens matrem adheret
ut adhereat uxori sue ut sint duo in carne una. Ex civitate pulsus atque ex-
altatus a terra omnia trahit ad se quippe qui est super omnia deus bene-
dictus in secula Amen. Sermo In nativitate domini

Grandis quidem est dilectissimi hodierne dominice nativitatis so-
lempnitas sed dies brevis cogit brevitatem sermonis.
Nec mirum si facimus nos breve verbum quando et deus pater
verbum fecit abbreviatum. Vultis nosse quam longum quam bre-
ve fecit? Celum inquit hoc verbum et terram ego impleo.
Nunc verbum caro factum est in angusto locatum in presepio est. A secu-
lo ait propheta et in seculum tu es deus et ecce factus est infans diei
unius. Sed quid hoc fratres aut que necessitas fuit ut se exinaniret se
sic humiliaret se abbreviaret dominus maiestatis nisi ut vos similiter
faciatis? Jam clamat in exemplo quod postmodum predicaturus est ver-
bo. Discite a me quia mitis sum et humilis corde ut veraciter inveniatur qui di-
xit: que cepit Jhesus facere et docere. Obsecro proinde et plurimum ro-
go fratres ne patiamini sine causa tam pretiosum exemplum vobis exhibi-
tum esse sed conformamini illi et renovamini spiritu mentis vestre studete
humilitati que fundamentum est custosque virtutum. Sectamini illam que sola
potest salvare animas vestras. Quid enim magis indignum quid detestabilius
amplius quid gravius puniendum quam ut videns deum celi parvulum factum
ultra apponat magnificare se homo super terram? Intollerabilis
impudentia est ut ubi sese exinanivit maiestas vermiculus infletur
et intumescat. Hoc igitur est propter quod exinanivit se formam servi accipi-
ens qui in forma dei patri equalis erat sed exinanivit se maiestate et

potentia non bonitate et misericordia. quod enim ait apostolus: Apparuit
enim benignitas et humanitas salvatoris nostri dei. Apparuit ante potentia
in rerum creatione. apparebat sapientia in earum gubernatione sed benigni
tas misericordie nunc maxime apparuit in humanitate. Innotuerat iu
deis potestas in signis atque portentis. unde et in eorum lege [illegible] sepius:
ego dominus ego deus. philosophis quoque habundantibus in suo sensu maiestas inno
tuit quantum iuxta apostoli verba quod notum est dei manifestum est in illis.
Verumptamen et iudei potentie ipsa premebantur. philosophi scrutatores maiestatis
opprimebantur a gloria. potestas subiectionem. maiestas exigit admi
rationem. neutra imitationem. Appareat domine bonitas cui possit homo
qui ad ymaginem tuam creatus est conformari. Nam maiestatem potes
tatem sapientiam nec imitari possumus nec expedit emulari. Quousque
angustiata est misericordia tua in sola angelorum parte. reliquum omni part
iudicium cum toto pariter humano genere. Domine in celo misericordia tua et ve
ritas tua usque ad nubes. terram universam comprehendat in aereas po
testates. dilatet misericordia terminos suos extendat funes expandat
sinum attingat a fine usque ad finem fortiter et disponat omnia suaviter. Re
strictus est domine iudicio sinus tuus. solve cingulum tuum et veni misera
tionibus affluens superfluens caritate. Quid tu times o homo quid tre
pidas a facie domini quia venit. venit non iudicare sed salvare terram.
Olim tibi persuasum est ab infideli quodam servo ut furtim tolleres et im
poneres regium dyadema capiti tuo. deprehensus in furto quid non time
res quid non fugeres a facie eius. Forte enim iam gladium vibrabat ig
neum. Nunc in exilio positus in sudore vultus tui vesceris pane tuo et
ecce vox audita est in terra quia dominator advenit. quo ibis a spiritu eius
et quo a facie eius fugies. Noli fugere noli timere non venit cum armis
non puniendum sed salvandum requirit. Et ne forte dicas etiam nunc vocem
tuam audivi et abscondi me. ecce infans est et sine voce. Nam vagi
entis vox miseranda magis est quam tremenda. aut si cui forte terri
bilis sed non tibi. parvulus factus est tenera membra virgo mater pannis
alligat et adhuc timore trepidas. Vel in hoc scies quia non venit per
dere te sed salvare eripere non ligare. iam adversus hostes tuos dimi
cat iam superborum et sublimium colla [illegible] dei virtus et dei sapientia
calcat. Duo tibi sunt hostes peccatum et mors id est mors corporis et anime. utrum
que debellaturus advenit. ab utroque salvabit te noli timere. Et iam quidem
peccatum in propria persona vicit quando humanam naturam sine ulla contagione sus
cepit. grandis enim peccato facta est violentia et vere ea expugnatio ex
cognoscitur quando naturam quam se totam infecisse et occupasse gloriabatur ab
eo penitus alienam in Christo inventa est. Dehinc persequitur inimicos tuos et
comprehendit eos nec convertitur donec deficiant. contra peccatum dimicans
in conversatione sua verbis pariter et exemplis oppugnat. sed in passione sua

Sermo [illegible] parvulus ad nos [illegible]

alligat illud. alligat plane fortem et diripit vasa eius. Iam vero eodem
ordine mortem quam prius superat in seipso cum resurgit primicie dormientium
et primogenitus mortuorum postmodum debellaturus eam petet in nobis
omnibus quando videlicet suscitabit mortalia corpora nostra et destruetur novissi
ma inimica mors. propterea enim resurgens decore indutus est non sicut
antea nascens pannis involutus est. propterea qui prius more sinum afflu
ebat non inveniens quemquam resurgens precingit se et iusticie cingulo
videtur quodammodo affluentem sinum more collegisse quando ex tunc preparatur ad
iudicium quod in nostra resurrectione futurum est nam et propterea parvulus ante
venit ut nostram purgaret et futurum in fine iudicium preveniens nostra repa
ret || Licet enim parvulus ad nos venerit non parum tamen attulit non
parum contulit nobis. Si queritis quid attulit. primo omnium attulit mi
sericordiam secundum quam teste apostolo salvos nos fecit. neque hys tamen pro
fuit quos tunc presens invenit sed fons est qui nunquam poterit exhau
riri. fons nobis est christus dominus unde lavemur sicut scriptum est qui dilex
it nos et lavit nos a peccatis nostris. verumptamen non iste solus aquarum
usus est ut tantum sordes abluant sed et sitim extinguunt. Beatus vero vir
sapiens qui in sapientia morabitur et in iusticia meditabitur. Et post pauca. A
qua inquit sapientie salutaris potabit illum. Bene sapientie salutaris
quoniam sapientia carnalis mors est et sapientia mundi etiam ipsa inimica est deo. So
la que ex deo est sapientia salutaris que secundum beati Iacobi diffinicionem pri
mum pudica deinde pacifica est. nam sapientia carnis voluptuosa est non
pudica. sapientia mundi tumultuosa non pacifica. Sapientia vero que ex deo
est primum pudica [illegible] est non querens que sua sunt sed que domini Iesu christi
ut non suam quisque faciat voluntatem sed consideret que sit voluntas dei.
Deinde pacifica non habundans in sensu suo sed alieno magis acquiescens
consilio vel iudicio. Tercius aquarum usus est irrigatio qua profec
to necessariam habent novelle maxime plantaciones alioquin aut minus
proficient aut ex toto pre siccitate peribunt. Querat ergo devocionis
aquas quisquis seminavit bonorum operum semina ut irrigatus fonte
gracie bone conversacionis ortus non exarescat sed in perpetua viriditate
proficiat. Orat enim pro huiusmodi propheta et holocaustum tuum pingue
fiat. sic et in laudibus aaron legis quod sacrificium eius condiamus
ignis assumpsit in quibus omnibus nichil aliud intelligendum videtur nisi ut
bona opera fervore devocionis et dulcedine spiritualis gracie condiant || Pu
tamus invenire poterit quartus fons ut paradisum recuperemus quatuor
fontium irrigatione amenissimum. Nam si terrenum paradysum denuo
nobis reddendum non speramus quanto regnum celorum speraremus. Si terrena in
quit dixi vobis et non creditis quomodo si dixero vobis celestia credetis.
Nunc autem ut de exhibitione preteritorum firma sit expectatio futurorum para
disum habemus multo meliorem et longe delectabiliorem quam primi parentes

hic ut. Et paradisus noster Christus dominus est in quo tres quidem fontes in-
venimus quartum quaerimus. Habemus de fonte misericordiae ad di-
luendas culpas aquas remissionis. Habemus de fonte sapientiae ad poti-
dam sitim nostram aquas discretionis. Habemus de fonte gratiae ad irrigan-
das bonorum operum plantas aquas devotionis. Quaerimus ad decoquen-
dos cibos aquas ferventes aquas aemulationis. Hae nimirum condiunt
et decoquunt affectiones nostras et ebulliunt de fonte caritatis. Unde ait propheta
Concaluit cor meum intra me et in meditatione mea exardescet ignis.
Et alibi quoque zelus inquit domus tuae comedit me. Siquidem ex dulce-
dine devotionis diligens iustitiam ex fervore aemulationis odio habet
iniquitatem. Et vide ne forte de fontibus istis praedixerit Isaias. Hau-
rietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris. Nam ut promissionem
hanc vitae praesentis esse noveris non futurae illud attende quod sequitur di-
cens in illa die Confitemini domino et invocate nomen eius. Invocatio quip-
pe praesentis temporis est sicut scriptum est. Invoca me in die tribulationis.
|| Porro ex his quattuor fontibus tres quidem propius convenire viden-
tur tribus ecclesiae ordinibus singuli singulis. Nam primus quidem omnibus
est communis. In multis enim offendimus omnes et necesse habemus fonte
misericordiae quo possimus earum offensionum abluere sordem. Omnes enim peccavi-
mus et egemus gloria dei et praelati et continentes et coniugati. Si dixe- Nota de fontibus
rimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus. Quia ergo nemo mun-
dus a sorde necessarius est omnibus fons misericordiae et pari voto debent ad
hunc fontem Noe Daniel et Iob properare. De ceteris Iob quidem magis
fontem sapientiae quaerat quoniam ipse magis inter medios laqueos ambulat
ita ut magnum videatur si a malo declinet. Danieli vero occurrendum est ad
fontem gratiae cui nimirum praeter opera et labores abstinentiae devotionis gratiae
necesse est pugnare. Oportet enim ut nos opera nostra in hilaritate omnia
faciamus quoniam hilarem datorem diligit deus. Verum tamen in matrimonio
fertilis est huiusmodi fructus bene scilicet quispiam pubes facile arida-
bescet ideoque facile exarescet nisi crebris irrigationibus adiuvetur at-
tentione in oratione divina huiusmodi gratiam sub cotidiani nomine panis
cotidie petamus. Quoniam enim nobis timendum ne forte cadat super nos ter-
ribilis illa maledictio propheticae imprecationis. Fiant sicut fenum tec-
torum quod priusquam evellatur exaruit. Fons vero aemulationis nec spiritus
convenit quia maxime praelatos decet hic zelus. Quattuor namque fontes
istos adhuc in carne viventibus nobis in semetipso Christus exhibet. Quintum
qui est fons vitae post hoc saeculum repromittens ad quem se sitiebat
propheta cum diceret. Sitivit anima mea ad deum fontem vivum. Fortassis et
propter hos quattuor fontes quattuor in locis vulneratus est adhuc
vivens in carne. Propter quintum cum iam tradidisset spiritum transfixus in latere.
Vivebat adhuc quando foderunt ei manus et pedes ut quattuor fontes nobis

adhuc viventibus ex scripto proferret. quantum prevalet volens cum iam ex
pirasset ut ipse nichilominus finite quantum nobis propositum aperiret. Sed du
legimus de misteriis nativitatis dominice repente ad scrutanda secreta
te dominice passionis. nec mirum tamen si continuo in passione quod in nativitate sua expr
attulerit. Tunc enim conclusio sacro pecuniam que latebat in pretium nostre re
demptionis effudit. || Item de nativitate.

Magna opera domini ait propheta. Magna quidem omnia opera eius
m sunt siquidem magnus ipse sed ad nos maxime spectant que in
eis maxima esse videntur. Hinc est quidem quod psallit idem pro
pheta dicens. Magnificavit dominus facere nobiscum. Denique quam magnifice no
biscum agat specialiter tria quedam eius opera clamant prime conditionis pre
sentis redemptionis et future glorificationis. quam magnificata sunt opera
in singulis opera tua domine. Tamen est virtute operum tuorum annuntiare populo
tuo nos ipsa saltem opera non silemus. || Triplicem fecit commixtionem in
his tribus conditione est celestis plane operis et divine virtutis. Nam in
primo quidem opere conditionis nostre de limo terre plasmavit hominem deus
et inspiravit in faciem eius spiraculum vite. qualis artifex qualiter univit
ad cuius nutum sic conglutinantur sibi limus terre et spiritus vite. limus quidem
iam ante creatus erat cum in principio creavit deus celum et terram. at spiritus sa
ne non communem sed proprium habet conditionem nec in massam creatus sed sin
gulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce o homo dignitatem tuam
agnosce gloriam conditionis humane. Est tibi cum mundo corpus sic enim decet
eum qui constitutus est super universam huius creature corporee molem aliqua simila
ri et ex parte. sed est tibi etiam sublimius aliquid nec omnino comparandus ceteris
creaturis. Compacta et confederata sunt in te caro et anima illa plasmata
hec inspirata. Sed cuius interest hec commixtio cui hec unione constituit.
Etenim iuxta sapientiam filiorum huius seculi ubi sociantur plurimis inferiora pre
valent qui potentiam habent et huiuscemodi rebus utuntur pro libitu suo. Co
nculcat fortior minus fortem. videt sapiens indoctum. simplicem fallit astu
tus. potens despicit intellectum. non sic in opere tuo domine non sic in tua commix
tione. non adhuc sociasti spiritum limo sublime vili dignum et excellentem
creaturam abiecte et vilis masse. quis non videat sicut quantum corpori pre
stet anima. et nunquid non totus esset insensibilis caro inanimata. Ab anima enim
pulchritudo. ab anima enim incrementum. ab anima enim claritas visus et sonus vocis.
denique sensus omnis ab anima est. Caritate in ista iunctio commendatur. cari
tatem in hac ipsa conditionis prope pagina lego. caritate ipse statim prin
cipio non solum condidit sed ingerit in manus benignissima caritatis. Et qui
dem magna hec iunctio dilectissimi sed si stabilis permansisset nunc aut
licet divino fuerit munita sigillo. ad ymaginem quippe et similitudinem suam
creavit hominem deus. Heu disruptum est sigillum et virtus dissipata. Rece
dens ille pessimus latro recens adhuc sigillum fregit et sic multata

Tria quidem opera magnifica esse nobis conditionis presentis redemptionis et future glorificationis

similitudine divina comparatus est miser homo iumentis insipientibus et
similis factus est illis. Rectum quippe fecit deus hominem atque hec similitudo eius
de quo scriptum est quia rectus dominus deus noster et non est iniquitas in eo. Veracem
quoque et iustum fecit eum sicut et ipse veritas et iustitia est nec unitas ipsa
posset desiungi dum sigilli huius integritas permaneret. Verum superveniens fal
sarius qui dolosus sigillum promittens melius vere confregit quod erat
manu divinitatis impressum. Eritis inquit sicut dii scientes bonum et ma
lum. O malivole o maligne ad quid eis huius similitudo scientie? Sint certe sicut
dii recti iusti veraces. Sint sicut deus in quo non cadit peccatum hoc quippe
sigillo stante stabit unitas illa. Iam experimur miseri quod nobis persuaserit
versutia dyabolice fraudis. Fracto namque sigillo scissum amarum dissidium triste
divorcium. Ubi est quod dixisti neque mori neque moriemini? Ecce enim morimur
omnes et non est homo qui vivat et non videat mortem. || Sed quid e
rit domine deus numquid ne exprobabitur opus tuum et qui recidit non adiciet ut
resurgat? Non est qui reficiat nisi qui fecit. Itaque propter miseriam ino
pum et gemitum pauperum nunc exurgam dicit dominus ponam in salutari
fiducialiter agam in eo. Siquidem nihil proficiet inimicus in eo et filius
iniquitatis non apponet nocere ei. Novum inquit ego facio compositum
magis expressius et evidentius pono sigillum eum qui non ad ymaginem meam
factus sed est ipsa ymago splendor glorie et figura substantie non fac
tus sed genitus ante secula. Et ne forte timeas esse frangendum aruit
inquit tamquam testa virtus mea sed talis testa quam nec ipse malleus
universe terre conterere illam non possit. Sane cum prima ex duobus facta
sit. Secunda iam commixtio fit ex tribus ut discas ex hoc ipso ad sacramentum acce
dere trinitatis. Verbum quod erat in principio apud deum et deus erat. Anima que
de nichilo creata est et ante non erat. Caro de massa corruptionis sine
corruptione aliqua divino segregata officio qualis nulla caro iam e
rat vinculo indissolubili in persone convenere unitate. Habes in hiis triplex
genus potentie quod non erat creatum quod perierat reparatum quod super omnia erat
paulominus ab angelis minoratum. Hec sunt ut arbitror illa sata fari
ne que propter fermentantur ut sit panis angelorum quem manducet homo
panis confirmans cor hominis. Felix mulier benedicta in mulieribus in cuius
castis visceribus supponente igne spiritus sancti coctus est panis iste. Felix in
quam mulier que in hec tria sata misit fidei sue fermentum. Siquidem fide
concepit fide peperit et ait beata elizabeth beata que credidit quoniam perficientur
in ea que dicta sunt ei a domino. Nec mireris quod fide eius mediante verbum dixe
rim carnem quandoquidem et carnem ipsam de eius carne suscepit. Sane
ne hoc quidem presentem expositionem obviari putes quod de celestis regni dicitur
similitudine. Neque enim indignum videtur si celorum regnum fidei marie comparetur
que et reparatum. Huius tamen vinculum unionis nulla omnino solvere potest
creatura siquidem nec princeps mundi huius habet in eo quicquam. Nec ipse

Nota bene [illegible]

Iohannes solvere dignus est corrigiam calciamenti. Quid tamen? Solvatur certe
aliquatenus necesse est, alioquin quod dissolutum est non resolidatur. Panis integer
thesaurus absconditus, sapientia occulta que velatur in hiis cibis. Merito
flebat Iohannes quia non inventum qui aperiret librum et solveret signacula eius.
Dum enim clausus staret, nemo ex nobis divinam illam attingere sapientiam pos
seret. Ipse tu librum, agne dei, mansuetudo vera, fodiendas expone indo
manus tuas et latus pedes ut procedat qui in eis latet thesaurus salutis
et copiosa redemptio. Frange denique esurientibus panem tuum. Solus enim
frangere potes qui solus et coniuncta solidare scire potes et ipsam coniunctionem.
Solus potestatem ponendi habes animam tuam cum volueris et resumendam. Tua
igitur ministratione solvantur aliquatenus templa hec, sed non penitus dissol
vantur; separetur ab anima caro, sed verbum sine et carnis servet incorruptionem
et anime plenam conferant libertatem, ut sola inter mortuos libera agat educens
vinctos de domo carceris, sedentes in tenebris et umbra mortis. Ponat a
nima suam carnem immaculatam, sed resumendam tertia die, ut moriens mortem
perimat et vita hominum cum resurgente resurgat. ‖ Ita factum est, dilectissimi,
et ita factum gaudemus. Morte illa mors mortua est et regenerati sumus in
spem vite per resurrectionem Ihesu Christi ex mortuis. Iam quod futurum sit in
unione tertia, quis loquetur? Nec oculus vidit nec auris audivit nec in
cor hominis ascendit que preparavit deus diligentibus se. Consummatio erit
illa cum tradiderit Christus regnum deo patri, et erunt duo non iam in carne una
sed in spiritu uno. Etenim si adherens carni verbum factum est caro, multo ma
gis qui adheserit deo unus spiritus erit cum eo. Et in hac quidem unione me
dia humilitas exhibetur, et humilitas magna nimis, in tertia vero quam expectamus
ad quam suspiramus, perfecta nobis sit tamen nobis reposita glorificatio est. Et si
meminimus in prima unione qua ex anima et carne compactus est homo
caritate quedam in merito eminet humilitas in secunda, que sola est virtus hu
militas leste reparatio caritatis. Porro quod unitur rationalis anima creature terreno
corpori, non est humilitati ascribere. Siquidem non ex deliberatione pro
pria anima miscetur, sed creando inmittitur, inmittendo creatur. Neque sine
ille summus spiritus qui non esset magis bonus ipse humiliatum sui merito acces
sit ad corpus contaminatum. Merito denique caritati et humilitati sequitur
glorificatio, quod sine caritate nichil prodesse potest et nemo nisi qui se hu
miliat exaltabitur. ‖ Item de nativitate domini.

tria [T]ria quedam vere generis, fratres, in hac nativitate domini considero,
non solum dulcia sed et difficilia valde. Siquidem pater qui nasci
tur deus est, et mater de qua nascitur virgo est, et partus ipse sine
dolore est. Fulget in tenebris lux nova de celo, gaudium magnum angelus
evangelizat, laudat multitudo celestis militie, dat gloriam deo, pacem ho
minibus bone voluntatis. Currunt pastores, inveniunt quod ad eos dictum est ver
bum, mirantur alii quicunque audiunt, admirantur. Hec et his similia, dilectissimi

diuine virtutis sunt non fragilitatis humane. vasa sunt et aurea et argentea
quibus pro tanta solempnitate in mensa domini etiam egemus quibusque hodie mi-
nistratur. non est nobis tollere ista. non nobis aureus discus datur aut
cyphus sed qui in eis cibus est et potus. diligenter considera ait sapiens que
apponuntur tibi. Et ego certe agnosco in ea esse nutrimentum huius temporis
et locum. infirmitatis corporis teneritudinem paruuli vagitus et lacrimas sed
et ipsorum quibus primo annunciatur natiuitas saluatoris paupertatem pastorum atque
vigilias. Mea sunt hec pro me fiunt mihi apponuntur mihi proponuntur imi-
tanda || Hyeme natus est nocte natus est christus. Nunquid credimus casu
fuisse ut in tanta aeris inclementia et in tenebris nasceretur cuius est hyemps
et estas dies et nox. Non eligunt paruuli ceteri quando nascuntur quippe quibus
vix adhuc incipientibus viuere nullus subest rationis usus. nulla eligen-
di libertas. facultas nulla deliberandi. christus sicut et si homo non erat
erat tamen in principio apud deum et deus erat eiusdem cuius nunc est sapientie
et potentie utpote dei virtus et dei sapientia. Nasciturus itaque dei filius
cuius in arbitrio erat quodcumque vellet eligere tempus elegit quod molestius
est presertim paruulo et pauperis matris filio que vix pannos haberet ad inuolu-
endum presepe ad reclinandum. Et cum tanta esset necessitas nullam audio fieri pel-
lium mentionem. primus adam pelliceas vestes tunicas pannis studuit obuol-
uere. non est tale iudicium mundi. aut iste fallitur aut mundus errat sed
diuinam falli impossibile est sapientiam. merito proinde et carnis prudentia
mors siquidem et ipsa inimica est deo et seculi quoque prudentia stulticia
nominatur. Quod enim christus utique qui non fallitur elegit quod carni est mo-
lestius id ergo melius id utilius id potius eligendum. Et quisquis aliud do-
cet vel suadeat ab eo tamquam a seductore cauendum. || Iam vero etiam noc-
te voluit nasci. ubi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos.
christus elegit quod salubrius iudicat vos eligitis quod reprobat ille. cuius
prudentior e duobus. cuius iudicium iustius. cuius sententia firmior. denique
tacet christus non se extollit non magnificat non predicat et ecce annunciat eum
angelus laudat multitudo celestis exercitus. Et tu quoque qui christum sequeris
in tenui absconde thesaurum. ama nesciri laudet te os alienum sileat tuum.
|| Adhuc autem in stabulo nascitur christus et in presepio reclinatur. Et nonne ipse est
qui dicit meus est orbis terre et plenitudo eius. quid ergo stabulum elegit.
plane ut reprobet gloriam mundi dampnet seculi vanitatem. necdum loquitur
lingua et quecumque de eo sunt clamant predicant euangelizant. ipsa quoque
infantilia membra non silent. in talibus mundi iudicium arguunt subuertunt con-
futant. quis enim homo si daretur optio non magis eligeret in robustum cor-
pus et etatem intelligibilem quam infantilem. O sapientia que de occultis
trahitur o vere incarnata et velata sapientia. Et tu sicut ipse est promissus
olim per ysayam paruulus sciens reprobare malum et eligere bonum. mala
ergo voluptas corporis bonum non afflictio est siquidem et hanc elegit et illa

reprobat puer sapiens verbum infans. Verbum enim caro factum est, et caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens omnis operis, omnis laboris impatiens. Et vere fratres verbum factum est caro et habitabit in nobis. Dum esset in principio apud Deum lucem habitabat inaccessibilem, et non erat qui caperet illud. Quis enim investigavit sensum Domini aut quis consiliarius eius fuit? Carnalis homo non percipit ea que spiritus Dei sunt. Sed iam capiat et animalis, quia factum est caro. Si nichil preter carnem novit audire, ecce verbum caro factum est; audiat illud vel in carne. O homo, in carne tibi exhibetur sapientia illa quondam occulta. Ecce iam ipsis sese ingerit sensibus carnis tue; carnaliter, ut ita dixerim, predicatur tibi: Fuge voluptatem, quia mors posita est secus introitum delectationis. Age penitentiam, quia per hanc appropinquat regnum. Hoc tibi predicat stabulum illud, hoc presepe clamitat, hoc membra ista infantilia manifeste loquuntur, hoc lacrime et vagitus evangelizant. Plorat quippe Christus, sed non sicut ceteri, aut certe non quare ceteri solent. In aliis sensus, in Christo prevalebat affectus. Parvuli illi non agunt utpote nec ipsius adhuc usum voluptatis habentes. Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Ille ingemuit graviter quod est super omnes filios Ade, Christus filiorum Ade peccata deplorat. Et certe pro quibus nunc lacrimas fundit, postea fundet et sanguinem. ||

O duricia cordis mei. Utinam, Domine, sicut verbum caro factum est, ita et cor meum carneum fiat. Siquidem et hoc pollicitus es per prophetam: Auferam, inquit, a vobis cor lapideum et dabo vobis cor carneum. Fiunt lacrime Christi michi et pudorem pariunt et dolorem. Ludebam ego foris in platea, et in secreto regalis cubiculi super me ferebatur sententia mortis. Audivit hoc unigenitus eius, exiit, posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudis pedibus, flens et eiulans quod morte dampnatus esset servulus eius. Intueor illum subito procedentem, stupeo novitate, causam percunctor et audio. Quid facturus sum? Ludamne et deludam lacrimas eius? Plane si amens sum et mente captus, non sequar eum nec simul cum lugente lugebo. Ecce unde pudor, dolor et timor. Unde? Utique quia ex consideratione remedii periculi mei estimo quantitatem. Nesciebam periculosum me in valde, et ecce mittitur filius virginis, filius Dei altissimi, et iubetur occidi, ut vulneribus meis precioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce, homo, quam gravia sint vulnera pro quibus necesse est Christum Dominum vulnerari. Si non essent hec ad mortem et mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur. Pudet itaque, dilectissimi, propria negligentia dissimulare passionem cui tantam maiestatem tanta exhibere video compassionem. Compatitur filius Dei et plorat; homo patitur et ridebit? Sic et medicine estimatio et doloris mei et timoris exaggeratio est. Verum si diligenter discernam preceptam medici curationem, consolationis occasio. Sicut enim grave agnosco morbum cui tanta apponitur medicina, sic et ex hoc ipso non incurabilem esse convincor. Neque enim profusissi-

mas spes frustra insumeret medicus sapiens immo ipsa sapientia. Porro
frustra insumi constat non solum si absque eis esset sanabilis curatio sed mul
to magis si et cum eis sit impossibilis. Animat itaque ad patientiam et accen
dit vehementius desiderium spes concepta. Hinc accedit ad consolationem
ipsa quoque que pastoribus vigilantibus exhibita est visitatio et allocutio
angelorum. Ve vobis divites qui habetis consolationem vestram ut non me Exhortatio et consolatio
reamini habere celestem. Quam multi enim nobiles secundum carnem quam multi po
tentes quam multi sapientes huius seculi hora illa in stratis mollibus quiesce
bant et nemo eorum dignus habitus est novam videre lucem scire magnum
illud gaudium angelos audire cantantes gloria in excelsis deo. Agnoscant
ergo homines quia qui in labore hominum non sunt visitari ab angelis non meren
tur. Agnoscant quam placeat supernis civibus labor cum spiritualis intentio est
qui quidem et eos qui pro victu corporis corporali urgente necessitate laborant
suo dignantur alloquio et alloquio tam felici. Nimirum humanitati in eis ag
noscunt ordinem quo constituit deus ut in sudore vultus sui vesceretur adam
pane suo. Obsecro vos dilectissimi considerate diligentius quantum
fecerit deus pro vestra exhortatione et salute nec infructuosus sit ema
natum in vobis sermo tam vivus et efficax sermo fidelis et omni ac
ceptione dignus. Sermo non tantum oris quam operis. Putatis fieri parum mi
chi molestum esse si hoc ipsum verbum quod nunc loquor ad vos vacuum et sine
aliqua utilitate deperire de cordibus vestris nossem? Et quis sum ego aut
quis est hic sermo meus? Si huic scintille vocis laborem inutilem esse
doleret homo pusillus et immo et nichili quam iustius indignabitur deus
investitus si tantum eius opus nostra aut duricia aut negligentia contingat
evacuari? Avertat hoc a servulis suis qui pro eorum salute induere
dignatus est formam servi unigenitus dei patris qui est super omnia deus be
nedictus in secula amen. Item de nativitate.

Puer natus est nobis. Puer antiquus dierum puer forma corporis
et etate. antiquus dierum incomprehensibili verbi eternitate qui
quin etiam in ipsa sua dierum antiquitate et si puer non sit novus
tamen sit immo non tantum novus sit quam ipsa novitas in se semper manens
et innovans omnia a quo queque res prout recedit veterascit prout redit
innovatur. Et novo quodam modo unde antiquus inde novus cuiusquidem eter
nitas ipsius sit initio nascendi sit defectu veterascendi ipsi est et antiqua
novitas et nova antiquitas ipsius. Illa tamen est non nativitas huius temporalis
nativitatis qua puer natus est nobis innovandis qui ab eterno deus natus
est angelis beatificandis. Illa quidem nativitas amplioris glorie sed ista profe
sionis misericordie. Ista siquidem propter me qui iam indigebam quam miseria re
dundans eram et miseria quam expiare non poteram. Ostende nobis domine
misericordiam tuam qui nondum idonei sumus videre gloriam tuam. Apparuit
benignitas et humanitas salvatoris nostri dei ut per hanc digni efficiamur